UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 76 ad 100

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1764

VD18 15558428-001

Psalmus LXXXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53423

Visual Library

℣. 51. *Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat.*

Conclusio satis docet, Prophetam intellexisse, promissionem factam Davidi stabilem, & firmam fuisse, & omnino implendam tempore suo. *Benedictus &c.* laus, & gratiarum actio semper Domino deferatur, quoniam justus est in omnibus verbis, & sanctus in omnibus operibus suis. *Fiat, Fiat*, sive Amen, Amen, h. e. opto, ut fiat, sen Deus benedicatur in æternum. Atque hic est finis libri tertii secundum Hebræos.

PSALMUS LXXXIX.

Titulus: *Oratio Moysi hominis Dei. Inscribitur Psalmus Moysi, quod ipsum loquentem inducat, qui scripsit creationem mundi, peccatum primorum parentum, & pœnas indè secutas.*

Argumentum est *oratio ad Deum pro humano genere, quod ob peccatum originale in maximas incidit calamitates, & auxilio gratiæ assidue indiget, tum ut ærumnas hujus vitæ facilius toleret, tum ut ad gaudia æterna perveniat.*

℣. 1. *Domine refugium factus es nobis, à generatione in generationem.*

Orditur à gratiarum actione pro acceptis beneficiis, quæ est via obtinendi nova be-

neficia. *Domine* fatemur nos variis periculis esse obnoxios; sed te protectorem experti sumus *à generatione &c.* h. e. omni tempore.

℣. 2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis: à sæculo, & usque in sæculum tu es Deus.*

Docet, Deum semper potuisse esse refugium sperantibus in eum, quia ipse semper est, nempe æquè potens, sapiens, & benignus. *Priusquam &c.* non solùm ante montes, ante *terram*, puta inculam, & desertam; ante *orbem*, h. e. terram cultam, & habitabilem, sed etiam es ab æterno in æternum. Non dicit *eras, eris*, sed *es*, ut ostendat veram æternitatem Dei, quæ est duratio immutabilis.

℣. 3. *Ne avertas hominem in humilitatem, & dixisti, convertimini filii hominum.*

Incipit orare Deum, ne sinat humanum genus perire. Ne sinas averti humanum genus à lumine vultûs tui ad extremam abjectionem, ut oblitum veri boni sectetur caduca, & pereat. *Et dixisti*, h. e. nam *dixisti*, hortatus es homines ad pœnitentiam tum per Prophetas, tum per internas inspirationes.

℣. 4. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit.*

℣. 5. *Et custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.*

Describit abjectionem hominis post Adæ peccatum ex brevitate vitæ comparatæ cum Dei æternitate. In vilitatem maximam conversi sumus, quoniam tu quidem æternus es, ita ut apud te mille anni sint velut una dies, quæ statim præterit, aut velut una nocturna vigilia, quæ tribus horis absolvitur. Hominum autem, qui ad tuam imaginem creati, & ideo semper vivere deberent, anni post peccatum numerantur inter ea, *quæ pro nihilo habentur*, h. e. sunt brevissimi, ac pene nulli.

℣. 6. *Manè sicut herba transeat, manè floreat, & transeat: vespere decidat, induret, & arescat.*

Comparat annos vitæ cum fœno. Manè, primâ parte diei homo quasi herba virens apparebit in pueritiâ, & non ibi sistet, sed mox transibit. Manè item in eâdem parte diei florebit in juventute, & nec ibi consistet, sed mox transibit. *Vespere* in alterâ parte ejusdem diei *decidet* in virilitate, flore scil. juventutis cadente; *indurabitur in senectute*, amisso vigore virilitatis, & *arescet* in morte, siccato humore vitæ. Illud *transeat, floreat &c.* hebraicè est *transibit, florebit &c.*

℣.

℣. 7. *Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus.*

Dicit, causam brevitatis vitæ nostræ esse jujustissimam iram Dei, quam iniquitas humana succendit. *Defecimus*, mortales effecti sumus; quia irritavimus iram tuam, & *conturbati sumus* mortis horrore ob furorem tuum, qui securi antea vivebamus. Deus *furit*; *irascitur* impropriè, h. e. non parcit peccatori, sed punit.

℣. 8. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.*

Dixerat causam brevitatis vitæ nostræ fuisse iram Dei; jam dicit, causam iræ Dei fuisse peccatum originale, quod vocat *nostras iniquitates* quia nobis commune fuit, & plures malitias in se continet. *Posuisti* ante conspectum tuum peccata nostra: *sæculum &c.* idem est: iniquitates vitæ, seu temporis nostri luce vultûs tui detexisti, ut earum turpitudo nota esset, & justè puniretur.

℣. 9. *Quoniam omnes dies nostri defecerunt; & in ira tua defecimus.*

Quòd Deus viderit, & condemnaverit peccata nostra; pœna ipsa mortis nobis inflicta demonstrat. Quoniam omnes dies nostri abierunt, ut nulli jam supersint; imò & nos cum

illis consumpti sumus. Si Adam non peccasset, fluxissent dies, sed fluere non cessassent, nec nos cum illis defecissemus.

℣. 10. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur; dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*

℣. 11. *Si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor.*

Dixit, mortem esse pœnam peccati; jam addit, vitam ipsam esse miseram, & brevem. *Anni nostri*, h. e. tempus vitæ nostræ exercebitur vanis laboribus, doloribus, timoribus, suspicionibus in temporalibus bonis procurandis, & talibus malis avertendis, sicut aranea exercetur in texendis retibus, omni re fragilioribus, non sinè propriæ substantiæ consumptione. *Dies annorum nostrorum in ipsis*, h. e. tempus vitæ nostræ in se ipso conclusum, ac definitum, non transcendit ultra 70. annos; & in robustioribus usque ad 80.; & si quid ultra sit, erit ætas infirma, variis malis, & ærumnis obnoxia.

℣. 12. *Quoniam supervenit mansuetudo, & corripiemur.*

Quoniam pro *veruntamen*, vel *certè* ex labore, & dolore senectutis hoc boni consequimur, ut, deposito fastu juvenili, humiliemur, &

& mansuescamus, ac indè *corripiamur*, discamus subjecti esse Deo, & id parum temporis, quod superest, in ejus timore & amore consumere.

℣. 13. *Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?*

Ex gravitate pœnæ inflictæ peccato Adæ colligit severitatem iræ Dei adversùs peccata. Quis cogitando poterit assequi, quanta sit vis, & efficacitas iræ tuæ, Domine? quis poterit te tantùm timere, quantum timendus es, & juxta hunc timorem mensurare magnitudinem iræ tuæ?

℣. 14. *Dexteram tuam fac notam fac, & eruditos corde in sapientia.*

Incipit orare pro genere humano, ut, sicut Deus illud justè punivit pœnâ mortalitatis, ita misericordiæ respicere, & adjuvare dignetur in hujus vitæ mortalis peregrinatione. Fac Deus, ut jam tandem innotescat nobis dextera tua, quâ nos per gratiæ tuæ munera suscipias, & sustentes. Et simul notos fac nobis homines &c. Prophetas, Apostolos, qui habebant cor verâ, non falsâ hujus mundi sapientiâ eruditum.

℣. 15. *Convertere Domine usquequò, & deprecabilis esto super servos tuos.*

Idem rogat. Tu, Domine, avertisti à nobis

faciem tuam, iratus nobis propter peccata nostra; sed aliquando tandem placatus convertere ad nos, & respice nos oculo benignitatis tuæ: & sine te exorari à servis tuis, quos ipse formasti, & alis, ac sustentas in obsequium tuum.

℣. 16. *Repleti sumus manè misericordia tua, exultavimus, & delectati sumus omnibus diebus nostris.*

℣. 17. *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis, quibus vidimus mala.*

Hæc pertinent ad tempus patriæ. Initio veræ illius diei, quo Solem justitiæ aspicere cœpimus, repleti sumus magnâ illâ misericordiâ tuâ, quæ nullum locum miseriæ relinquit. Ideo *exultavimus &c.* hoc restat beatis, & liberatis à malis omnibus, ut exultantes laudent Deum, eôque fruantur. Etiam *lætati sumus pro diebus &c. & pro annis &c.* nam dulciora sunt bona post experientiam malorum, & ipsa patientia in malis hæc nobis tanta bona promeruit.

℣. 18. *Respice in servos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum.*

Postquam perivit summum bonum, quod est finis ultimus hominis, & actionum nostrarum, jam petit media, seu gratiam bene ope-

ran-

randi. *Respice*, illumina *servos tuos*, & accende ad amorem tuum : & respice in opera bona, quæ tu operari cæpisti in illis. Respice etiam in filios servorum tuorum, seu naturales, seu spirituales, ut omnes te dirigente, in viâ mandatorum perseverent, & tandem salventur.

℣. 19. *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos : & opus manuum nostrarum dirige.*

Idem petit aliis verbis, ut ostendat, se valde optare, quod petit. *Sit splendor &c.* & *respice* idem est : Deus ut Sol respiciendo illuminat. *Et opera &c.* tu præsidens nobis, fac, ut rectè operemur, legem tuam semper sequendo. *Et opus manuum nostrarum* perseveranter *dirige.* Ostendit opera omnia revocari ad unum opus, quod est radix omnium, nempe opus charitatis.

PSALMUS XC.

TItulus: *Laus Cantici David. In Hebraicis, & multis codicibus græcis hic titulus deest : putatur autem postea additus, ut intelligeremus, Psalmum à Davide fuisse compositum, non à Moyse, cujus mentio fit in Psalmi præcedentis titulo.*

Argumentum Psalmi est *cohortatio ad fiduciam*